



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio VI. De ultima Fidei resolutione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

propositionis respectu actuum Fidei semper tenuis saltem aliqua memoria, dico tamen, sicut quando primò eliciebantur, nec conclusio objectum præmissarum, nec assensus Fidei attingebat propositionem intrinsicè, ita neque modò illam attingit, sed est mera conditio, sicque jam etiam habemus actus Fidei propriè & in omni rigore sumptos.

X. *Quid dicendum in sententiâ assensu ad omnes actus circa objectum Fidei non requiri recordationem propositionis præmissarum.*
 Qui autem dicunt, nec ad omnem actum circa objectum conclusionis eliciendum requiri memoriam præmissarum, nec ad actum circa objectum Fidei necessarium esse ut quis recordetur propositionis præmissarum, & aliorum, quæ in primâ Fidei acquisitione illam antecederent; hi, inquam, respondere possunt, in primis ad actus meritorios circa objecta virtutum moralium sufficere prudentiam supernaturalem infusam. Ad actus verò supernaturales meritorios circa obje-

cta, quæ non nisi per revelationem cognoscuntur, ut circa Trinitatem, Incarnationem, &c. hi actus, postquam quis per propositionem extrinsecam se in iis aliquoties exercuit, possunt postea sine propositionis illius recordatione elici ab habitu Fidei. Forent autem hi assensus actus Fidei, saltem virtualiter, essent enim certi & obsecuri, juxta dicta numero septimo. Patres verò quando initium meriti tribuunt Fidei, solùm volunt nos per Fidem constitui in statu merendi, non tamen negant, quin ubi quis per actus formales Fidei, in quibus se aliquamdiu exercuit, habitum Fidei acquisivit, possit postea ex hoc habitu actus supernaturales elicere, qui ad actus voluntatis supernaturales, ac meritorios deseruiant, sive strictè dicendi sint actus Fidei, sive non, de quo non existimo multum esse laborandum.

Quo sensu Patres initium meriti tribuunt Fidei.

DISPUTATIO SEXTA.

De ultimâ Fidei resolutione.

DISCVSSIS iis quæ ad objectum formale Fidei pertinent, veracitate scilicet Dei, ejusque locutione seu revelatione, ac demum auctoritate Ecclesiæ tam divinâ quàm humanâ, ubi nonnulla etiam de motivis credibilitatis dicta sunt, restat ut in quid demum assensus Fidei resolvatur inquiramus, & suum cuique ex recensitis in hoc negotio munus, & ordinem assignemus: quæ questio plus implexi habet & intricati, quàm cuiquam fortasse primâ facie habere videtur. Rem qua potero brevitate & claritate expediam: prius tamen quæ perperam à nonnullis pro eo, in quod ultimò Fides resolvitur, statuuntur rejiciam.

SECTIO PRIM A.

In quid ultimò resolvatur Fides.

Sectariorum error.

I. *Proponitur status præsentis diffcultatis.*



Nunc præsens controversia sita est, ut statuamus quidnam tandem illud sit, in quo actus Fidei tanquam in ultimo determinativo formali nitatur. Id verò certum, in aliquo sisti debere, nec procedi posse in infinitum: periculum ergo est, ne dum seriem objectorum formalium, seu rationum credendi, quæ certo ordine & veluti concatenatione quadam se consequuntur, teximus, incidamus in circulum, & idem per idem probemus. Exempli gratiâ si quis interrogatus cur Verbum credat esse incarnatum, respondeat quia id Deus in Scripturâ revelavit:

R. P. Comptoni Theol. Schol. Tom. II.

Omnimodo curandum ut vitetur circulus.

si ulterius interrogatus cur credat Scripturæ, dicat ob auctoritatem Ecclesiæ infallibilem; si deinde interrogatus cur credat Ecclesiam in proponendo ac definiendo esse infallibilem, si inquam respondeat id se credere quia Christus in Scripturâ Spiritus Sancti assistentiam ei promissit, idem probat per idem, Scripturam scilicet per Ecclesiam, & Ecclesiam per Scripturam, sitque circulus vitiosus, qui, ut dixi, tunc contingit, quando ab eodem ad idem eodem modo cognitum sit progressus.

In quo sensu sit circulus vitiosus.

Notandum primò, in assensu Fidei, saltem in primâ ejus acquisitione, duo intervenire judicia, Ad actum primum est, quod ex motivis provenit, verfatûrque circa mysteriî quod proponitur credibilitatem, & præviè ad Fidei acceptationem statuitur, movens nimirum voluntatem, ut, cum ex motivis credendi videat quis posse se prudenter assensum rei illi seu mysterio præbere, illud amplectatur, actumque Fidei circa illud eliciat. Aliud

II.

Ad actum Fidei duo ne plurimum requiruntur judicia.

C

judicium

TOM. II

judicium est ipse actus Fidei, quo iudicamus ob revelationem divinam, sub qua proponitur, rem aliquam ita se habere. De utroque hoc iudicio præfenti disputatione agendum.

III.
In assensu
Fidei duo
interveniunt
causarum
genera.

Notandum secundò, in hoc posteriori iudicio, seu ipso assensu Fidei, duo reperiri causarum genera, nempe ex parte potentiae, & objecti: primum genus ad causam efficientem pertinet, secundum ad objectivam. De hoc secundò præcipuè isthic disputamus, & inquirimus quid sit ex parte objecti formalis, in quo ultimò consistat intellectus, dum actum Fidei elicit: qua in re mirum est quàm varii sint dicendi modi.

IV.
Rejicitur
sectariorum
error Fidem
resolven-
tium in pri-
vatum spi-
ritum.

Antequam verò diversa hac in re orthodoxorum placita recenseam, confutandus est Sectariorum nostri temporis error, qui ut supra, disput. 4. Sect. 4. vidimus, Fidem in privatas inspirationes & internam spiritus testificationem resolvunt. Pete ab iis exempli gratia, cur Christum credant à mortuis resurrexisse, ascendisse in caelum, &c. respondent quia id divinæ literæ testantur, & traditur in Scripturâ: si ulterius inquiras, unde hunc librum sciant esse sacram Scripturam, & verum Verbum Dei, hoc sibi aiunt clariùs constare, quàm Solem meridie lucere, nec minore se facilitate inter libros canonicos & non canonicos, quàm inter album & nigrum, lucem & tenebras, diem & noctem discernere: si demum quæras unde iis tanta lux oriatur & mentis illustratio, hanc tandem cum Calvino lib. 1. Institutionum, cap. 7. Sect. 4. & 5. haurire se aiunt ab interno spiritus testimonio, quod à Deo eorum cordibus infundi dicitant, eoque de omni se veritate instrui affirmant.

Vanum ha-
reticorum
commen-
tum.

V.
Rejicitur
ulterius
inano hoc de
spiritu pri-
vato fig-
mentum.

Sed quis non videt quàm hoc inane sit ac frivolum? quis enim vel de cerdonum grege proflilere nequit (& vero inter Sectarios in dies profiliunt hujuscemodi homines) ac somnia sua & otiosi cerebri commenta pro oraculis obtrudere, novaque in dies Fidei dogmata pro libidine cedere: quod si quis hoc ei vitio vertat, in promptu habebit hoc hæreticorum figmentum, dicetque cælitus se ista didicisse ex privato scilicet Sancti Spiritus instinctu. Quo pacto hunc hominem refellerent Sectarii, cum eodem quo ipsi nitatur fundamento, eademque in suis defendendis figmentis viâ procedat, quâ ipsi in suis.

VI.
Offenditur
privatum
hunc spi-
ritum non
posse proce-
dere à Spi-
ritu Sancto.

Secundò error hic de privato spiritu rejicitur: Spiritus Sanctus namque non est Deus disensionis, sed pacis & concordiae, nec pugnantia unquam suggerit, sed summa semper in ejus dictis est conformitas & consonantia: at vero privatus iste hæreticorum spiritus mirum est quàm contraria, & è diametro etiam opposita doceat, quàmque graves vel inter primarios illius assertores discordias rixasque pepererit. Et ut non abeam longius, quàmvis ut proximè vidimus, asserant se hoc spiritu magistro tam clarè libros canonicos à non canonicis discernere, ac lucem à tenebris; nullâ tamen in re magis quàm in hac dissident, multiq; ex iis hujus spiritus instinctu libros varios pro canonicis habendos esse acriter contendunt, quos alii ejusdem spiritus ductu summâ contentione è canone ejicere conantur, ut doctissimè & elegantissimè ostendit P. Edmundus Campianus in aureo illo libello decem rationum in causâ Fidei propositarum, ratione primâ, qui sic tandem hac de re concludit: Denique cum omnia credant suo quisque spiritui, nomen Sancti Spiritus horribili blasphemâ mentiuntur.

Sectariorum
spiritus sibi
in variis est
contrarius.

Pater Ed-
mundus
Campia-
nus.

Quoad rixas verò & contentiones, quas privatus hic eorum spiritus inter ipsos excitavit, idque circa primarios etiam Fidei articulos, notior res est quàm ut declaratione indigeat, imo eousque processerunt discordiæ, ut verbis contumeliosissimis mutuo se lacerarent ac discernerent, seque invicem *Ethnicos, Iudaos, Turcas, Atheos, Hereticos, demones* appellarent, omniq; opprobriorum & convitiolorum genere profecderent, ut fusè ostendi præcedente tomo, Disp. 1. Sect. 4. Quis ergo sanæ mentis dicit privatum hunc instinctum, tot malorum & disensionum fontem, à Spiritu Sancto boni omnis ac pacis auctore procedere.

VII.
Privatus
hic spiritus
rixarum
inter eos &
contentio-
num causa.

Tertiò rejicitur: unde enim certò constare Sectariis potest hunc spiritum, in quo tota fidei ipsorum moles & machina recumbit, esse divinum, & non potius meram illusionem, ac spiritum erroris, & enthusiasmum à dæmone immissum. Si dicant, ut plerique ex iis dicunt, hoc ex ipsâ spiritus evidentia omnibus innotescere, contra, Fides namque est obscura, & ut ait Apostolus ad Hebræos 11. vers. 1. non apparentium, & alibi nos jam videre docet solum per speculum in enigmate.

VIII.
Constare
nequis se-
ctariis hunc
spiritum esse
divinum.

Deinde quis credat omnes omnino inter Sectarios, quantumvis rudes & imperitos, ac hebetes etiam ingenii, adeo nihilominus hac in parte oculos esse & perspicaces, ut evidenter sciant se spiritum Dei habere, & in omnibus Spiritus Sancti illustratione & instinctu dirigi; præsertim cum sæpius in Scripturâ jubeamur probare spiritus, quod tamen supervacaneum omnino foret, si evidenter constaret hunc esse instinctum à Deo immissum; conari enim id quod clarum & manifestum est probare, perinde est ac aquam in mare projicere. Insuper, ut supra num. 5. insinuavi, quis ex hæreticis, quorum jam inde à nascente Ecclesiâ diversis locis ac temporibus plurimi extiterunt; quis inquam ex iis eadem ratione errores suos defendere nequeat, quo Sectarii defendunt suos, dicendo scilicet se Spiritus Sancti instinctu & scire hæc & dicere, clarèque sibi constare se habere spiritum Dei. Tandem, ut hoc punctum concludam, judicet quisvis æquus rerum æstimator, Utrum verisimilius sit S. Augustinum aliòsque Ecclesiæ Patres, eruditione & sanctitate conspicuos (qui nihilominus Sectariis in doctrinâ & dogmatibus Fidei planè sunt oppositi) spiritum Dei habuisse, an nuperos istos homines à Fide ac religione apostatas, qui Ecclesiâ neglectâ, cui tamen hac in re primas semper tribuerunt Patres, se sibi credendi regulam statuunt, cunctâque suo cerebro mentiuntur.

IX.
Quo pacto
rudis quis-
que inter eos
sciet se ha-
bere spiri-
tum Dei.

Quartò demum rejicitur hoc hæreticorum commentum; in id enim incidunt ad quod vitandum privatum hunc spiritum finxerunt, circulum scilicet vitiosum: interrogati quippe, ut supra dixi, Cur Deum credant esse Trinum & Unum, id se credere affirmant quia ita expressè habetur in Scripturâ: si quæras unde ipsis constet hanc esse veram Scripturam, hoc se internâ & singulis immisâ Spiritus testificatione & instinctu nosse asserunt: si ulterius petatur quo pacto sciant privatum hunc instinctum esse à Spiritu Sancto, id sibi ex divinis literis compertum esse respondent, tum alibi, tum Joannis 10. Oves meæ vocem meam audiunt, sicque Scripturam ex privato spiritu, privatum spiritum ex Scripturâ probant, & ambulant in circulo.

Frustra id
probatum
quod est ma-
nifestum.

Sancti Pa-
tres spiritum
habuerunt,
sectariorum
spiritus con-
trarius.

X.
Circulum
vitiosum in
Fidei sua re-
solutione
constituunt
sectarii.

SECTIO SECUNDA.

Alii quidam in Fidei resolutione procedendi modi.

I. Resolvi ul-
timò nequis
Fides in au-
thoritatem
humanam
Ecclesiæ.

P RIVATO itaque sectariorum spiritu reje-
cto, in quid alii Fidem resolvant videamus,
nec enim omnium idem hac in re est procedendi
modus. Dicunt ergo aliqui resolvi Fidem ulti-
mo in auctoritatem humanam Ecclesiæ tanquam
in objectum formale. Sed contra, auctoritas
humana Ecclesiæ est fallibilis, solum enim dicit,
ut sæpe declaratum est supra, cœtum virorum
prudendum, qui simpliciter errare possunt, nec
rem quæ credenda proponitur, faciunt absolutè
sed moraliter tantum certam, sicque actus Fidei,
qui in hanc auctoritatem tanquam in ultimum
determinativum resolvitur, non haberet illam
certitudinem, quam Theologi omnes in eo re-
quirunt.

II. Quid dicen-
dum de reso-
lutione Fi-
dei in divi-
nam Eccle-
siæ auctori-
tatem.

Secundò alii Fidem, non in humanam, sed di-
vinam Ecclesiæ auctoritatem resolvunt, prout ni-
mirum infallibilem Spiritus Sancti assistentiam
includit, & hoc pacto nec errare ipsa potest, nec
alios in errorem inducere: ita sentire videtur
Valentia, & alii. Vereor tamen, nisi aliud adda-
tur, ut scopum attingant; imò in id, quod maxi-
mè vitare cupiunt, incidere videntur, circulum
scilicet vitiosum, circulus namque, ut Sectione
præcedente ostensum est, tunc committitur,
quando hoc per illud, & illud vicissim per hoc
probat, sicque ab eodem ad idem fit progressus.
Quod verò in hac Fidem resolvendi viâ istud
contingat sic probò, Deum siquidem aliquid do-
cere seu revelare credunt hi auctores, quia Ecclesia
infallibili suâ auctoritate id proponit, rursus verò
Ecclesiæ auctoritatem esse divinam, seu habere
ipsam infallibilem in rebus Fidei proponendis ac
definiendis Spiritus Sancti assistentiam credunt
quia Deus hoc in Scripturis docet ac revelat, nec
enim aliunde hoc nobis certò innotevit, sed ad
summum habemus moralem illius certitudinem
ut num. præcedente declaratum est, ergo incur-
ritur circulus, & idem mediâ probatur per
seipsum.

offenditur
in hac Fi-
dem reso-
lutione viâ
committi
circulum.

III. Fidem re-
solvunt ali-
qui in lu-
men inter-
num tran-
sientem vel ha-
bitualem.

Tertiâ, quorundam sententia est, Fidem re-
solvi in lumen internum, vel transiens, vel habi-
tuale producivum actus Fidei: ita Bannez 2. 2.
quæst. 1. a. 1. Aragon ibid. Cumel hic, q. 1. a. 1.
Canus lib. 12. de locis Theol. cap. 3. Concl. 2. & 3.
tenere etiam idem videtur Albertus Magnus in
3. dist. 24. a. 1. & 2. Hanc similiter opinionem
Suarez hic, Disp. 3. sect. 3. n. 4. ex parte tribuit
Molina 1. part. quæst. 1. art. 3. Disp. 2. citari etiam
solet Scotus in 3. Dist. 23. quæst. unicâ.

IV. Lumen te-
net se ex
parte poten-
tiæ, non op-
jeit.

Hi auctores, quamvis vera sit doctrina quam
tradunt, non tamen loquuntur ad rem præsen-
tem, seu de ratione Fidei objectivâ, quæque per
actum Fidei representetur, moveatque tanquam
objectum cognitum; lumen enim, sive habitua-
le sit sive actuale, tenet se ex parte potentiæ, quo
nimirum confortatus intellectus ad actum Fidei
supernaturalem eliciendum elevatur, estque me-
dium incognitum, & hoc modo intelligendum
existimo Doctorem Subilem proximè citatum.

V. Non resolvi-
tur Fides in
principia
evidentia.

Quartus dicendi modus est P. Vasquez 1. part.
d. 4. & 5. qui secutus Marfilium in 3. q. 14. ait
Fidem resolvi in principia evidentia, Deum scili-
cet esse veracem, & omnes ejus revelationes esse

B. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

essentialiter veras. Sed contra: Fides in id resolv-
debet, quod est ratio cui mysterium aliquod
credimus esse à Deo revelatum, hoc autem, ut
constat, non est quod sciamus Deum esse vera-
cem, quantumcumque namque sit verax, non
propterea necessariò quidquam revelat. Hæ sunt
præcipua hæc de re sententia: alias proinde mi-
noris momenti omitto.

SECTIO TERTIA.

Statuitur verus Fidem resolvendi
modus.

R ECOLENDUM quod supra, Sect. I. n. 2.
notavi, ad primam Fidei productionem
duo motivorum genera concurrere, cum volun-
tate quædam, quædam cum intellectu: prima ad
Fidei acceptationem conferunt, movendo scili-
cet voluntatem ut actum Fidei circa rem, quæ
prudenter credibilis proponitur, imperet intel-
lectui, efficiatque ut ei assentiatur. Alia verò
motiva immèdiatè spectant ad intellectum, sunt-
que illa, quibus nixus judicat quis rem aliquam,
non credibilem esse, sed veram; ac denique sunt
ratio, in quâ actus Fidei tanquam in fundamen-
to sistit, causaque sui objectiva. Cùm ergo Fi-
des in eas causas resolvi debeat, quæ ordine ge-
nerationis ad illam ducunt, videndum in quam
ex istis ultimò sit refundenda, seu, quod eodem
rocudit, quænam ad actus Fidei productionem
prima concurrat.

I. Duplex mo-
tivorum ge-
nus in assen-
su Fidei pro-
ducendo in-
tervenit.

Habendum etiam præ oculis quod Disp. præ-
cedente, Sect. 1. & 2. latè probavi, nempe au-
thoritatem Ecclesiæ esse divinam, ejusque vo-
cem esse vocem ac verbum Dei, & infallibilis
omnino certitudinis; per Ecclesiam namque Deus
tanquam per organum suum loquitur ac testifi-
catur, unde, ut loco citato ostendi, Ecclesiæ
testificatio seu definitio, in certitudine & infal-
libilitate est ipsi divinis literis æqualis; qua de
causâ Ecclesia 1. ad Timotheum 3. vers. 15. ap-
pellatur *columna & firmamentum veritatis*; & ob
eamdem rationem S. Augustinus, ut ibidem dixi,
ait: *Evangelio non crederem, nisi me auctoritas Ec-
clesiæ commoveret.*

II. Notandum
auctori-
tatem Ecclesiæ
esse divi-
nam.

Ecclesia cer-
titudinem
habet sacra
Scriptura
parem.

Ex quibus omnibus infero juxta supra dicta,
eum, qui mysterium aliquod credit propter au-
thoritatem divinam Ecclesiæ, credere propter te-
stimonium Dei. Utrùm autem auctoritas Ec-
clesiæ dicenda sit simpliciter objectum formale
Fidei, quæstio ferè est de modo loquendi; quan-
vis enim ad illam etiam tanquam ad motivum ter-
minetur actus Fidei, & propter eam rei propo-
sitæ assentatur, congruentius tamen fortasse di-
citur non esse simpliciter objectum formale Fidei,
hoc namque innuere videtur de essentiâ actus fi-
dei esse, in revelationem divinam non alio modo
ferri, quàm ut ab Ecclesiâ propositam. Obje-
ctum ergo formale Fidei simpliciter est auctori-
tas Dei, utpote sine quâ nullus omnino elici po-
test Fidei divinæ assensus, auctoritas verò & pro-
positio Ecclesiæ dici potest objectum formale so-
cundum quid, seu modificatio quædam, ut re-
ctè Caietanus hic, quæst. 5. art. 3. vel ut alii
loquuntur completio & consummatio divinæ re-
velationis, quòd nimirum quamvis divina reve-
latio variis aliis viis manifestari possit, ut in supe-
rioribus ostensum est, in hac tamen rerum peritasti-

III. Sine aucto-
ritate Eccl-
siæ simplici-
ter dicenda
objectum
formale
Fidei.

Propositio
Ecclesiæ est
modificatio;
quædam
revelationis
divinæ in
ratione ob-
jecti forma-
malis.

FOR II

ius, quibus Ecclesia innouit, hæc est aptissima, imo ferè unica eam manifestandi, resque credendas proponendi, ratio, utpote quæ est organum & instrumentum verum, sicque quoad nos aptissimum ad mysteria Fidei amplectenda.

IV. Quo sensu resoluatur Fides ultimè in divinam auctoritatem Ecclesie.

Dicendum itaque, ideo nos mysterium ali- quod Fidei credere, quia Deus per Ecclesiam dicit se hoc dicere vel dixisse, sicque resolvitur tandem Fides in divinam auctoritatem Ecclesie: ita post Caietanum hic, art. 1. Suarez hic, Disp. 3. Sect. 10. num. 10. Stapletonus in Doctrinali, controv. 4. quæst. 3. & alii. Imo communis hic videtur omnium loquendi modus, dum di- cunt objectum formale Fidei esse revelationem divinam ut ab Ecclesia propositam, per quod de- notatur propositionem Ecclesie esse respectu re- velationis Dei objectum formale secundarium, seu quandam illius modificationem, ut declara- tum est numero precedente.

V. Verne mo- dus Fidem resolvendi traditur per partes, & causas obje- ctivas.

Ut verò enucleatius procedamus, remque magis in particulari declaremus, Fidei assensum per partes quasi, & causas illius objectivas evolva- mus. Si quis ergo quærat, Cur Verbum credis esse incarnatum? Quia hoc sacra litera restantur: unde has esse sacras literas & veram Scripturam nosti? Quia Deus per Ecclesiam hoc dicit: at unde tibi constat Ecclesie dictionem esse locutionem Dei, seu Deum per Ecclesiam hoc affirmare: Quia motiva credibilitatis ejusmodi sunt, ut faciant hoc esse evidenter credibile, suadeantq; rationi maxi- mè consentaneum esse, ut hoc judicem, nec citra te- meritatem possum dissentire; quare per imperium vo- luntatis captivo intellectum in obsequium Fidei, ef- ficiog, ut res hoc modo proposita præbeat assensum.

VI. Revelatio divina motus intella- ctum, motiva credibi- litatis volun- tatis.

Objectum ergo formale Fidei, seu movens intellectum, & cui hic tanquam fundamento in- nititur, & à quo infallibilitatem suam & firmam certitudinem haurit actus Fidei, ac domum in quo ultimò sistit, est revelatio divina ab Ec- clesia proposita, ita ut unum integrent objectum modo jam declarato, nec aliud quidquam ex parte intellectus est necessariò requirendum. Ple- na tamen & completa Fidei resolutio hic non sistit, sed in motivis credibilitatis, quæ quamvis ad actum Fidei immediatè non concurrant, ut dictum est, nec rem, quæ credenda proponitur ostendant esse veram, ostendunt tamen esse cre- ditu dignissimam, eaque cum probabilitate illam proponunt, ut nullus prudens dubitare queat, quin mereatur fidem & assensum, & quin ille ho- minum cætus, qui hujusmodi motiva & signa in se continet, sit vera Christi Ecclesia, quòd- quo digna sit, quam omnes tanquam columnam & firmamentum veritatis acceptent. Sicut ergo à motivis credibilitatis Fides originem primò ducit, ita ultimò in illa resolvitur, modo proximè explicato.

VII. Resolutio- nem Fidei in motiva credibilitatis aperit tradit S. Augu- stinus.

Hinc S. Augustinus libro contra Epistolam fundamenti, cum cap. 4. quædam ex his motivis recensuisset, ut consensionem populorum, mi- racula, successione Episcoporum in Sede Pe- tri, de quibus aliisquo fusè agendum est infra, sic de iis loquitur: Hæc tot & tanta Christianis nu- meris charissima vincula rectè hominem tenent cre- dentem in Catholicâ Ecclesiâ. Libro etiam de utili- tate credendi, cap. 16. & 17. de hac ipsâ re agens, ubi miracula, & alia nonnulla ex signis hæc ac motivis, quæ in Ecclesia reperiuntur, attulisset, hæc subdit: Auctoritati hujus Ecclesie nolle primas dare, vel summa impietatis est, vel præ- cipitè arrogantia. Docet insuper, ubi quis ob

Quam con- ceptum de auctoritate Ecclesie for- maverit S. Augu- stinus.

evidentem motivorum credibilitatem Ecclesiam semel accepit, debere eum semper postea il- lius auctoritatem, ut infallibilem in credendo regulam sequi; unde de se ait, quod supra ex aliâ occasione retulimus: Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas: addit- que, si Ecclesie auctoritas per Manichæos in- fringeretur, se amplius Evangelio credere non posse. Ex quibus constat, quam de motivis cre- ditibilitatis, Ecclesieque per ea acceptatâ concep- tum formaverit S. Augustinus.

SECTIO QUARTA.

Solvuntur argumenta contra veram Fidei resolutionem proposita.

CONTRA hætenus dicta objiciet aliquis, infallibilem hanc Ecclesie auctoritatem, in quam nos tanquam in objectum formale assensus, seu ex parte intellectus Fidem resolvimus, esse unum ex credendis, ergo propter aliud aliud credi debet, ergo non est prima ratio omnia cre- dendi, seu primum credibile, sicque vel commit- tetur circulus, & Ecclesia ob Scripturam, Scri- ptura ob Ecclesiam acceptabitur, vel nullum om- nino erit primum credibile, seu aliquid in quo sistat & quiescat intellectus, sed ibitur in infi- nitum.

I. Objic. au- thoritatem infallibilem Ecclesie esse unum ex credendis.

Ad responsonem notandum, parum referte quod aliquid sit in se primum credibile, seu quod summam veritatem reipsa contineat, nisi sit etiam primum credibile quoad nos, seu quod nos veritatem in illo contentam penetremus, alioqui perinde nobis est ac si veritatem illam in se non contineret. Sicut quantumvis res aliqua natu- ralis ita à parte rei se habeat, si tamen nobis non innotescat, nec illius vel experientiam vel de- monstrationem habeamus, nobis perinde est ac si se ita non haberet, parùmquo refert quoad nos quod in se vera sit, si non sit vera nobis. Eodem ergo modo, esto divinæ literæ dicantur primum credibile quoad se, & indemonstrabi- les, cum tamen in præsentis rerum statu, sine in- fallibili Ecclesie restificatione nos hoc non satis dignoscamus, non sunt primum credibile & in- demonstrabiles quoad nos, unde in iis, nisi in- fallibilis accedat auctoritas Ecclesie, quæ ut ostensum est, unum cum illis constituit objectum formale, Fidei resolutio sistere non potest.

II. Aliud est esse aliquid primum credibile in se, aliud quoad nos.

Quantumcunque ergo sacra Scriptura sit Ver- bum Dei, si nihilominus debitò modo non pro- ponatur, conducere ad hunc finem, eliciendi scilicet vel resolvendi actum Fidei non potest. Adde, quis verus sit Scripturæ sensus sæpissimè non constare, ut ex tot, tum inter nos & Secta- rios, tum Sectariorum inter se hac de re con- troversis est manifestum. Imo ipsi etiam Ecce- sie Patres, orbis lumina, viti doctrinâ & san- ctitate maximè conspicui, S. inquam, Augu- stinus, & S. Hieronymus, aliique, mirum est quan- tum circa quorundam locorum Scripturæ sen- sum & interpretationem inter se differerint, in- tepris etiam interdum in hanc rem utrimque scrip- tis tractatibus, quod tamen haud dubiè non con- tigisset, si Scripturæ mens esset aperta, resque ex ipsâ solâ Scripturâ decidi potuisset. Alia ergo præter Scripturam querenda est Fidei regula, viva nimirum, & quæ clarè sese aperire, ac declarare

Parum quoad nos refert, quod aliquid sit verum in se, si non sit verum nobis.

III. Si sacra Scriptura sit sufficiens ad fundan- dam Fidem, debet idoneè ad hoc pro- poni.

Alia præter Scripturam querenda est Fidei regula.

declarare possit, cujus proinde mentem ignorare nemo valet, nec nisi obstinatissimus sit, illi refragari.

IV. Ad argumentum itaque num. 1. propositum dico, quamvis Ecclesia unum sit ex credendis, non tamen indiget alio motivo ex parte intellectus, per quod credatur, sed sufficit quod in ea reperiantur motiva credibilitatis, nempe *morum sanctitas, puritas doctrine, pastorum in Sede Petri ad haec usque tempora perpetua successio, miracula, & id genus alia, de quibus postea; haec inquam cum in Ecclesia Catholica reperiantur, ut luce clarius constat, evidenter, ut dixi, ostendunt doctrinam ab ea traditam, esse creditu dignissimam, suadentque Deum per eam loqui. Cum ergo, ut Disp. praecedente ostensum est, testimonium Ecclesiae sit testimonium ipsius Dei, voluntas ob motiva credibilitatis imperat intellectui ut assensum praebet rei quae per eam credenda proponitur, idque ob auctoritatem Ecclesiae; sicque eadem opera credit eam esse fide dignam; qui enim propter alicujus auctoritatem credit rem ab eo dictam esse veram, credit etiam eum esse veridicum.*

ostenditur quo pacto licet Ecclesia sit unum ex credendis, possit tamen esse primum credibile.

V. Quod ergo me movet ex parte intellectus ad credendum Ecclesiae infallibilitatem, est ipsa auctoritas Ecclesiae: remotè autem inducor à motivis credibilitatis, modo jam dicto; evidenter quippe ex iis video esse rationi maximè consentaneum ut hac in re captivem intellectum in obsequium Fidei, eiq̃ue, aut Deo potius per eam loquenti assentiar: imò ut Sect. praecedente, n. 7. vidimus, contrarium esset, *vel summa impietatis, vel praecipit arrogantis.*

VI. Quare, cum ut rectè Suarez hic, Disp. 5. sect. 2. n. 4. & alii, nulla sit repugnantia ut detur regula aliqua viva & sensibilis, quae talia habeat signa, seu motiva, ut homines ea intuentes & prudentes considerantes, credere possint Deum per eam tanquam per organum suum loqui, judicentque insuper ea quae haec regula, etiam de seipsa dicit esse omnino certa & infallibilia: haec inquam cum ita sint, nullus relictus est ambigendi locus quin nostra Ecclesia sit ejusmodi, utpote in qua haec notae, seu motiva credibilitatis reperiantur, esseque organum à Deo constitutum ad alios ejus nomine erudiendos, atque ad docendum nos omnem veritatem, & per quam, ut supra vidimus, Deus loquitur *sicut locutus est per os sanctorum Prophetarum ejus, qui erant etiam regule vitae; uti erat Moyses & alii, & omnium maximè Christus.*

VII. Ut autem credatur Ecclesiae non est opus ut illa reflexè & expressè dicat vocem suam esse vocem Dei, sed sufficit quòd cum his signis credibilitatis rem aliquam proponat, hoc namque faciendo probat in actu exercito se nomine Dei loqui, Deumque per Ecclesiam hoc omnibus proponere credendum. Ut ergo verbo concludam, assensus Fidei ex parte intellectus ultimo resolvitur tanquam in objectum formale, seu intrinsicè terminans actum, in testificationem Ecclesiae locutionem Dei proponentis, in motiva autem credibilitatis extrinsecè tantum resolvitur, veluti in conditionem seu causam acceptandifi-

dem: cum verò haec acceptatio antecedit actum Fidei; est quippe actus voluntatis, qui Fidei actum imperat, & motiva credibilitatis antecedit acceptationem, Fides planè ultimo resolvitur in motiva credibilitatis.

dem: cum verò haec acceptatio antecedit actum Fidei; est quippe actus voluntatis, qui Fidei actum imperat, & motiva credibilitatis antecedit acceptationem, Fides planè ultimo resolvitur in motiva credibilitatis.

Objicies secundo: nos totam Fidem nostram in Scripturarum auctoritate fundamus, imò ipsam etiam Ecclesiam ex Scripturis probamus; in Scripturas itaque, non in Ecclesiam faciendae est prima Fidei resolutio. Respondetur non posse nos vel Fidem in Scripturis fundare, vel Ecclesiam ex illis probare, nisi prius acceptentur: quantumvis namque aliquid in se certum sit & infallibile, si tamen ut tale non cognoscatur, non est certum & infallibile nobis, nec usui esse potest, sed perinde est ac si certum non esset, ut ostensum est num. 2. & 3. ex quo constat, sicut prima Fidei generatio pendet ab Ecclesia, quae tanquam viva regula acceptat Scripturam, ita ultima etiam Fidei resolutio fit in eandem Ecclesiam.

VIII. *Ecclesia per Scripturas probari nequit, nisi fuerint acceptae.*

Urgebis, Ecclesia, etsi in se certa sit & infallibilis, nobis tamen non est, nisi ejus infallibilitas probetur, probari autem haec nequit nisi ex Scriptura, ergo ultima Fidei resolutio fiet in Scripturam, sicque Scripturam per Ecclesiam, Ecclesiam per Scripturam probamus, & incidimus in circulum. Respondetur, primum & fundamentalem actum Fidei, & in quem consequenter Fides ultimo resolvitur, nullo modo niti auctoritate Scripturarum, sed Ecclesia munita, ut ita dicam, motivis credibilitatis, hanc suam infallibilitatem per seipsam testatur, signaque seu notae credibilitatis, ut saepius dictum est, evidenter ostendunt eam esse Fide dignam: cum ergo, ut ex Disp. praecedente, Sect. 1. & 2. constat, testimonium Ecclesiae sit vox & locutio Dei, potest ob ipsiusmet Ecclesiae testificationem credi fide divinam eam habere auctoritatem infallibilem; sicut ob similia credibilitatis argumenta Israelitae crediderunt Moyse, ob singularem scilicet ejus vitae sanctitatem, mansuetudinem, prudentiam, miracula, &c. quae ipsos movebant, ut illum pro Propheta, & Dei organo acceptarent: nam ut rectè Suarez hic, Disp. 5. Sect. 2. n. 4. sicut Deus de seipso testari potest, ita & regula Fidei, quatenus est speciale organum Dei, quo ipso nobis loquitur, ex peculiari Dei ordinatione & providentià idem poterit, ob summam scilicet dignitatem illius, cujus est organum, necessitatè hujuscemodi regule ad rectam universi constitutionem, resque Fidei eo quo par est modo proponendas.

IX. *Non per Scripturam, sed aliunde primo probatur infallibilitas Ecclesiae.*

Sicut filii Israel Moyse, ita nos credere debemus Ecclesiam.

Hae ferè viæ in resolutione Fidei procedunt Suarez hic, Disp. 5. Becanus 2. 2. cap. 8. q. 8. num. 1. Tannerus tom. 3. Disp. 1. quest. 5. Albertinus tom. 1. Princip. 3. corolla. 4. a. n. 10. quamvis ex parte dissentiat. Nec multum adversari videtur Valentia hic, Disp. 1. quest. 1. punct. 1. §. 10. quamvis, ut supra Sect. 2. n. 2. notavi, aliquid ejus dictis necessariò sit addendum. Hanc etiam Fidem resolvendi viam amplectuntur docti quidam recentiores, camque in sua Analyfi non parum illustravit P. Thomas Louwewellus Disp. quartâ.

X. *Quamvis hanc Fidem resolvendi viam amplectantur.*